

TITULUS VII.

CAPUT I.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in sua parochia contrahendo, primum cognoscat ex his ad quos spectat, qui et quales sint, qui Matrimonium contrahere volunt: An inter eos sit aliquod canonicum impedimentum: Utrum sponte, libere et secundum honestatem Sacramenti velint contrahere: Utrum sint in ætate legitima, ut vir saltem quatuordecim, mulier duodecim annos expleverit; et uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.

2. Noverit ex probatis auctoribus, quæ sint canonica impedimenta Matrimonii contrahendi, et quæ contractum dirimant; et qui sint gradus consanguinitatis et affinitatis, et item cognationis spiritualis ex Baptismi vel Confirmationis Sacramento contractæ.

3. Habeat in primis ipse bene cognita præcepta illa omnia, quæ in Matrimoniis rite conficiendis servari oportere, sacri Canonis, et præcipue sancta Synodus Tridentina jussit; dabitque operam, ut illa in parochia sua accurate exacteque serventur.

4. Præsertim vero meminerit, Matrimonia inter raptorem et raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, inita, nec non clandestina, et quælibet Matrimonia, quæ aliter quam præsentis Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius Concilii decretis, irrita omnino ac nulla esse.

5. Est autem proprius Parochus, qui adesse debet, is, in cujus parochia Matrimonium celebratur, sive viri, sive mulieris.

6. Caveat præterea Parochus, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat vagos ac peregrinos, et qui incertas habent sedes; neque item eos, qui antea conjugati fuerunt, ut sunt uxores militum, vel captivorum, vel aliorum qui peregrinantur; nisi diligenter de iis omnibus facta inquisitione, et re ad Ordinarium delata, ab eoque habita ejusmodi Matrimonii celebrandi licentia, quæ gratis concedatur.

7. Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho continuis diebus festis in Ecclesia intra Missarum solemnias, ad ipsius Concilii præscriptum, publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum.



8. Si vero vir et mulier parochiæ sint diversæ, in utraque parochia fiant denuntiationes: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Sed si quid obstat, ultra Parochus non procedat.

9. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, vel alia rationabilis causa subsit, arbitrio Episcopi, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiat denuntiatio, vel saltem Parocho, et duobus, vel tribus testibus præsentibus, Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant: ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi aliter Ordinarius ipse expedire judicaverit.

10. Has autem denuntiationes Parochus facere non aggrediat, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet.

11. Si vero infra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.

12. Denuntiationes autem fiant hoc modo. Inter Missarum solemnias Parochus populum admoneat in hanc sententiam vulgari sermone:

13. *Notum sit omnibus hic præsentibus, quod N. vir, et N. mulier, ex tali, vel tali familia, et parochia, Deo adjuvante, intendunt inter se contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes et singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod Matrimonium contrahendum invicem impediatur, illud quamprimum nobis denuntiare debeat; et hoc admonemus primo, si fuerit prima; vel secundo, si fuerit secunda; vel tertio, si fuerit tertia denuntiatio.*

14. Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque Matrimonium consumment, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis, vel aliis præsentibus; quæ benedictio a nullo alio, quam ab ipso Parocho, seu ab alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, fieri debet.

15. Caveat etiam Parochus, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini umquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea servanda est. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir numquam uxorem duxerit.

16. Matrimonium in Ecclesia maxime celebrari decet: sed si domi celebratum fuerit præsentem Parocho et testibus, sponsi veniant

ad Ecclesiam benedictionem accepturi, et tunc caveat Sacerdos, ne iterum a contrahentibus consensum exigat; sed tantum benedictionem illis conferat, celebrata Missa, ut infra dicitur.

17. Admoneantur præterea conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad Ss. Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant; et quomodo in eo recte et christiane conversari debeant, diligenter instruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiae et Saræ, verbisque Angeli Raphaëlis eos edocentis, quam sancte conjuges debeant convivere.

18. Postremo meminerint Parochi, a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ, et a Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive, solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Nuptiæ vero qua decet modestia et honestate fiant: sancta enim res est Matrimonium, sancteque tractandum.

19. Quæ omnia fere ex sacri Concilii Tridentini decretis desumpta, et item alia, quæ ibi de Matrimonio rite contrahendo præcipiuntur, sunt diligenter servanda.

CAPUT 2.

RITUS CELEBRANDI
MATRIMONII SACRAMENTUM.

Parochus igitur Matrimonium celebraturus, publicationibus factis tribus diebus festis, ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum, in Ecclesia, superpelliceo et alba stola indutus, adhibito uno saltem Clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquæ benedictæ cum adspersorio deferat, coram tribus aut duobus testibus, virum et mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum præsentia cohonestari decet, de consensu in Matrimonium interroget, utrumque singillatim in hunc modum vulgari sermone:

N. vis accipere N. hic præsentem in tuam legitimam uxorem juxta ritum sanctæ matris Ecclesiæ?

Respondeat sponsus: **Volo.**

2. Mox Sacerdos sponsam interroget: **N.** vis accipere **N.** hic præsentem in tuum legitimum maritum juxta ritum sanctæ matris Ecclesiæ?

Respondeat sponsa: Volo.

Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem.

Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras, dicens:

Ego conjungo vos in matrimonium. In nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provincie ritum: postea eos adspergat aqua benedicta.

Mox benedicat anulum.

Benedictio Annuli.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum et terram.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Benedic, ✠ Domine, anulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus, ✠ ut quæ eum gestaverit, fidelitatem integram suo sponso tenens, in pace, et voluntate tua permaneat atque in mutua caritate semper vivat. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

3. Deinde Sacerdos adspergat anulum aqua benedicta in modum crucis; et sponsus acceptum anulum de manu Sacerdotis, imponit in digito annulari sinistro manus sponsæ, Sacerdote dicente:

In nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Mox subjungat:

V. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

R. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster. secreto.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus sperantes in te.

V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eos.

V. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Respice, quæsumus Domine, super hos famulos tuos: et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste; ut qui te auctore junguntur, te auxiliante serventur. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

4. His expletis, si benedicendæ sint nuptiæ, Parochus Missam pro Sponso et Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus quæ ibi præscribuntur.

5. Ceterum, si quæ provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas sancta Tridentina Synodus optat retineri.

6. Peractis omnibus, Parochus manu sua describat in libro Matrimoniorum nomina conjugum, et testium, et alia juxta formulam præscriptam; idque, licet alius Sacerdos, vel a se, vel ab Ordinario delegatus, Matrimonium celebraverit.

CAPUT 3.

DE BENEDICTIONE MULIERIS
POST PARTUM.

SI qua puerpera post partum, juxta piam ac laudabilem consuetudinem, ad Ecclesiam venire voluerit, pro incomlunitate sua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro adspergillum deferente, ad fores Ecclesiæ accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem, et candelam accensam in manu tenentem, aqua benedicta adspergat, deinde dicat:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
R. Qui fecit cœlum et terram.

Antiphona. **Hæc accipiet.**

Psalmus 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: * et misericordiam a Deo salutari suo.

Et repetitur Antiphona:

Hæc accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? * Dominus fortis et potens: Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? * Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.

Glória Patri.

2. Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolæ, eam introducit in Ecclesiam, dicens:

Ingrédere in templum Dei, adóra Fílium beátæ Mariæ Vírginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.

3. Et ipsa ingressa, genuflectit coram Altari, et orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis; et Sacerdos dicit:

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison.
Pater noster. secreto.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvam fac ancíllam tuam, Dómine.

R. Deus meus, sperántem in te.

V. Mitte ei, Dómine, auxiliúm de sancto.

R. Et de Sion tuere eam.

V. Nihil proficiat inimicus in ea.

R. Et filius iniquitatis non appónat nocere ei.

V. Dómine, exaúdi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens, sempitérne Deus, qui per beátæ Mariæ Vírginis partum fidélium pariéntium dolores in gáudium vertísti: réspice propítius super hanc fámulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiárum actióne lætam accedéntem; et præsta, ut post hanc vitam, ejúsdem beátæ Mariæ méritis, et intercessióne, ad æternæ beatitúdinis gáudia cum prole sua pervenire mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

4. Deinde illam adspergit iterum aqua benedicta in modum crucis, dicens:

Pax et benedictio Dei omnipoténtis, Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti, descéndat super te, et máneat semper. Amen.